

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Prorector Fridericianæ Academiae Io. Samuel Strykius,
Ictus, Serenissimæ Viduæ Saxo-Isenacensis Consiliarius
Aulicus, Et Jur. Prof. Publ. Ordin. Vna ...**

Stryk, Johann Samuel

[Halle], [1704?]

VD18 13435183

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-198696](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-198696)



PAX VOBIS!



Obis etiam, o *CIVES ACADEMICI!* pacem acquisivit *CHRISTUS* ac peperit: quam Vestrum omnibus, quotquot aculeum mortis, è peccato adhærentem, Christi *mortis & resurrectionis* viribus superare contendant, tempore hoc sanctissimo annunciamus. Beatissima *DOMINI* Nostri anima, quum tot vinculorum, plagarum, vulnerum & dolorum, illusionum ac contumeliarum, ipsiusque Crucis difficultates eluctata esset, pacem adhuc servabat illasam, qua spiritum suum æterni *PATRIS* manibus committens reddidit. Hoc deinde mox recepto, istam fidelibus impertit suis, dictitans: *PAX VOBIS!* Non mihi, inquit, opus erat, tantis exantlandis malis: sed vobiscum ut communicaretur Pax mea, debuit hæc naturæ vestræ discrimina intra me extrema experiri & vincere, atque isthac via vindicari in communionem. Hinc Filius Dei *ipse Pax nostra* est factus, (Eph. II, 14.) *faciens pacem*, (v. 14.) & *veniens evangelizavit pacem* hominibus, tum eis, qui procul, tum qui prope erant. (v. 17.) Quibus verbis Apostolus non tantum agit de Judæis Paganisque, ad unam Ecclesiam redigendis; verum, ut hoc fieri potuerit, ante omnia respicit tribunal *DEI*, cui *CHRISTUS per crucem reconciliavit utrosque in uno corpore*. (v. 16.) Unde autem is venit, tam benigne commendans illam recuperatam? primum equidem è cælo; postremo ab ipsis mortuis sese excitans, &, cunctis inimiciis subactis, tanquam verissima Pax resurgens. Intuemini in sepulcro, non modo unum, (Marc. XVI, 5.) sed plures

res etiam ministros Pacis *Angelos, amictos stolis candidis ac fulgurantibus!* (Luc. XXIV, 4. Joh. XX, 12.) Tam læta, tam certa, tam exuberans & triumphans significatur victoria, quam discipulis suis Pacator universi orbis maximus repræsentat.

Pax etiam Vobis, si & vos discipuli estis *Victoris peccatorum* optimi! Cogitet unusquisque, & alloquatur animum suum:

Aude omnes contemnere opes, & te quoque dignum

Finge DEO!

Erit dignus, quicumque tranquillitatem falsam detestans, totum cordis sui appetitum ad veram convertere perseverarit. Videtur quidem, omnis vacatio à molesta perturbatione, pax esse: ex qua opinione fit, ut vel impii eodem nomine habeant cupiditates suas, quæ aliquid belli & jucundi mentiuntur, haud animadvertentes bellum illud vulneribus plenum, quod istæ animabus inferant. (Sap. XIV, 22. 1. Petr. II, 4.) Contra audimus interpretem DEI sanctissimum, *Esaïam: Non est pax, inquit DEVS meus, impiis.* Cur non? Sunt enim *sicut mare impulsum, quando quiescere non potest, sed aque ejus cœnum & lutum ejiciunt.* (Esa. LVII, 20, 21.) Cœnum voluptatis est, quo *Securi* se conspurcant; lutum in omnibus desideriis, quod fovet *Hypocrita*. Utrumque luci quam adversum ac contrarium sit, occæcati utrique neutriquam agnoscere, sed ignorare malunt. Nec possunt quiescere, quia impelluntur à carne, mundo & Satana: nec possunt non impelli, quoniam quotidianis hostem alunt ac corroborant suis affectibus, quorum lutulentas sordes, irritante ipso, eructant turpissime. Hanc vitam, an non mortem; hanc pacem nonne bellum miserrimum dixeritis? Sux illi pacis, suæ fortunæ fabricatores infelicissimi existunt. Nam, ut rectè judicat, tametsi immemor sui, salutis expers ille *Salustius, vitam & mortem juxta æstimans eorum, quibus, contra naturam, corpus voluptati, anima oneri est;* non aliter, de bello eorundem ac pace, cogitandum. Ecce autem, præsto adest, quî, quem nemo possidebat amplius, ipse sua ex vita creat meliorem *proventum laborum, verè sonantem: pax, pax!* vereque animas *sanantem!* (Esa. LVII, 19.)

Dictum

Dictum externi *Poëta* si non omnino vanum fuerit, quod

Carmina proveniant animo deducta sereno;

(etsi enim nimium impuri & turbidi habet ista serenitas, de qua auctoris hujus mens potuit testari, prodidit tamen hæc hominis animalis confessio, quantopere naturæ ipsius corruptæ ductus persentiscat, requiri claritatem aliquam interiorum ad eximium quodlibet proferendum,) quanta, obsecro, erat miseria illorum temporum, quibus & honestissimi apparebant *Atheniensem* atque *Romanorum* multi, enitentes ad summa quævis in omni & sentiendi & loquendi elegantia, nec vero vel minimam attingentes scintillam puritatis ejus, quæ Spiritus DEI est! O nimis beati *Christiani*, dummodo current bona experiri sua! Quam venerabilia sunt labra *MESSIÆ* nostri, in quibus non habitavit modò lepor quidam naturalis, quæ laus *Periclis* in *Gentilibus* erat, verum ipsissima pax cœlestis residet, ubertas æternæ lucis, gratiæ & veritatis, bonorumque omnium inexhausta! Quantum mysterium, quod ea ab intima divinæ atque humanæ indolis communione provenit! qua fontis æterni scaturigine præpollens *CHRISTVS*, ipse & creator, & genitor, & pronuntiator, & effector, & dator est purissimæ, hoc est, *sue pacis*, (Joh. XIV, 24.) hoc est, *thesauri omnis sapientiæ, superantis omnem intellectum*. (Col. III, 3. Philipp. IV, 7.) Iam, quæso, ne miremini, resurgentem illum comitari lucidissimos satellites, atque hos nunciare vitam & fausta omnia; at pacem sanctissimam eos DOMINO relinquere, ab ipso expromendam juxta atque instillandam suis. En! non nominant quidem, sed monstrant tamen eam, commonstrant vultu habituque illuminatissimo. Quocirca, quis est vestrum, *CIVES!* qui, serenissimos istos juvenes, seu virili, seu juvenili animo sancte contemplatus, non suimet ipsius sentiat fastidium, suæ molis corporeæ, suæ consuetudinis, suarum vel ineptiarum, vel curarum quarumlibet! soletis namque his impediri, quo minus pacem illam divinam, cujus radiis refulgent illi, maturè admittatis interius, ut eandem exterius simul, ut

ut

ut non splendore æquali, simili saltem moderatione, ac specie Christianis digna, exprimatis. Nec defuisse homines, qui & juventutem suam hujusmodi virtute & pulchritudine religiosa collustrarint, se quidem maxime reddentes fortunatissimos; dubitare haud poteritis, si generosi *Josephi*, fortissimi *Davidis*, ac sapientissimi *Danielis* memoriam veneremini. Capessite igitur Vos quoque castissimam Spiritus voluptatem, Pacificatore summo dignissimam, atque ejurate, quicquid resurgens Regis vestri legibus aduersatur. (Pl. CXIX, 106.) Accipite pacis regulam, non tam à nobis, quam à sancto Illius *Apostolo Jacobo*: Quis sapiens & scientia præditus inter vos? demonstret ex bona conversatione opera sua, cum mansuetudine sapientie. Quodsi invidiam amararam habetis, & irritationem in corde vestro, ne gloriamini, & ne mendaces estote, adversus veritatem. Non est ista sapientia superne descendens, sed terrena, animalis, demoniaca. Ubi enim invidia est & rixa, ibi tumultuatio & omne opus prævum. Quæ autem supernè est Sapientia, primum quidem pura est, deinde pacifica, moderata; obsequens, plena misericordiæ & fructuum bonorum, absque disceptatione, sine simulatione. Fructus autem justitiæ feritur cum pace iis, qui dant operam paci. Iac. III, 13, 14, 15, 16, 17, 18.

Ita si paci detur opera, & in conscientia singulorum, & in publico statu, tam Ecclesiastico, quam Politico; non fuerit, quod ambigamus, fore, ut

*Spiritus unus agat sanctus cuncta agmina CHRISTI, &
Aspera compositis mitescant secula bellis.*

Ast hodie, quas Pacis condiciones, *Jacobæis* oppidò aduersas, *CAPITIBUS* ipsis *SUPREMIS* commendari, legimus in scriptis publicè! Ut invidia confletur iis, qui & publicæ pacis semina & fundamenta in pace cum Deo quærenda adhuc ponunt, his *Factio* (non tam bonis, quàm malis tribuenda) affingitur ejusmodi, quæ constet quibuscunque hominibus, quidvis sentientibus, & *orthodoxia* & disciplinæ inimicis. Quæ quidem ratio agglomerandi, quasi *CHRISTO Antichristum* ad-

scribas, *Apostolisque Pseudapostolos*, contra tot documenta palam contradicentia, quam atrox falsi testimonii malum sit, nemo non videt. Hoc autem supposito ac præmisso, quid sinceri esse potest in reliquis? Neque est hujus loci, accumulata commenta horrenda enarrare; quorum non postrema, ac si voluntas intellectui, *credendis agenda* opponerentur, nec statuerentur *Logice* vera, quæ cum verbo Dei congruerent, tum *dogmata* spernerentur *fundamentalia*, & *ritus sanctissimi*. Talibus aliisque, invisis charitati ac veritati criminationibus, quæ multò magis re, quam verbis repellendæ sunt, quamdiu in Ecclesia, immo ipsius Ecclesiæ nomine, grassari liceat, quid de pace Ecclesiastica sperabimus? Interea *Pietas laudatur: & alget*. Desideratur Pax, sed, ut produnt prodigia ejusmodi, non alia, quam quæ ante *Reformationis* lucem in tenebris dominabatur, a *Georgio Wicelio*, qui eo vixit tempore, sic descripta: *Religionis alta pax corruperat omnia. Erat, quod desiderares in cathedra, quod in choro, quod in thysiasterio. Mores Religiosorum referebant nobis ignotum quendam Christum; non eum, quem nobis crucifixum predicabat Paulus. Res vergebant ad summam animarum calamitatem.* Et verò quoniam non eodem res vergant his diebus nostris? Pax Christiana fieri in Ecclesia nequit sine CHRISTO, nec cum CHRISTO sine CHRISTI Spiritu, nec cum Spiritu CHRISTI, nisi hic in CHRISTI corpore introducatur omni sanctimoniam & nisu & apparatu & modis omnibus, ex *morte & resurrectione* ipsius derivandis. Videmus neminem, qui oleæ gestandos fructus ingerat: hos autem qui sperant, primum radicare & rigare eam; post incrementum a Deo, & denique illos ab arbore, expectare cernuntur. Radicem nullus fundabit, qui non prius tellurem findens adaptet, removeatque impedimenta. Ubi pacem CHRISTO dignam volumus, hic bellum ante omnia indicendum est, serium & efficax, vitiorum multitudini universæ, regnanti adhuc in Scholis, Academiis, Ecclesiis, Civitatibus & Curiis. Quænam est illa buccina, cujus clangor promittat pacem

pacem ante prælium? Præliandum est primo cum flagitiorum turba, quæ ubivis preces, quibus expeti pax queat, interrumpit. Veræ Paci duæ sunt famulæ, *Pietas & Justitia*: hæ ubi non *osculari* potest, ibi non figit ipsa pedem, neque in Ecclesia neque in Politia. (Psalm. LXXXV.)

Quid faciamus, Carissimi? Nostri jam officii est, CHRISTUM mortuum prædicare vobis exsuscitatum. Ita quidem per Dei gratiam vobiscum agimus, ad Redemptorem ipsum quod attinet. Quid vero, ad vos si respicimus, ad res Academicas, ad Civiles & Ecclesiasticas? hicne pariter viventem ubique illum reperimus? Ignoscat nobis *Angelus*, sepulcri hospes cœlestis, quod præconis tanti verbis veracissimis uti alio sensu debeamus: *Quid querimus vivum apud mortuos?* Adeo ignari sunt plerique, summi atque infimi, disciplinæ verè Christianæ, ut peregrinari in aliena civitate, non in ea, quæ *Crucifixi* est, domi esse videantur. Vos, qui sic animati estis, quid auditis de vita & pace Istius, cuius de morte & vinculis, ad delicta vestra ac pravæ consuetudines, vinciendas enervandasque, applicandis, audire gravamini? Diffugerunt *Discipuli*, manus *Magistro* injectas perhorrescentes: Vos, de carne cruci suffigenda commonefacti, animum in fugam conjicitis, non, ad ejulandum, ut illi, verum ad delicias, ad opes, ad quævis alia, quæ perversæ voluntatis sunt, consecranda. Ita dum pugnam odistis, adversus inquinatos mores; in his quietem vos, nulli autem veram, adamatis. Hac labe laborat Ecclesia, quoad ejus interpretes pacem in *littera* solummodo, nec ante in *spiritu*, venantur. Ecclesiæ autem veræ *Sponsus*, quibus & qualibus dicit? *PAX VOBIS!* nimirum mortis ipsius spiritu contritis, peccata sua & aliorum deplorantibus, de Israël spe sollicitis, atque insidias metuētib; Judæorum. *SION*, *SION*, etiam atque etiam vide, ut dignoscas apud te urbem magnam, quæ vocatur spiritualiter *Sodoma & Ægyptus*, ubi & Dominus noster crucifixus est! (Apoc. XI, 8.) Huic an resuscitatus profuerit CHRISTUS? hæc ne idonea ad pacem recipiendam?

Ut.

Utinam mittantur pacis nuncii in plateas ejus, evertantque omni & potentia & vigilantia tot obvia malorum genera, ut publicus increbrescat luctus ac mœror de culpis coacervatis, & de officinis furculisque ipsarum extirpatis, lætitia cœli terræque consequatur! Hoc demum erit signum certissimum, de pace in Ecclesia, atque in ipsis Provinciis, non desperandum esse. Atque utinam vos, *Academia hujus Civis!* ultro amplectamini unicam pacis viam, & jugo Regis Regum suavissimo obtemperetis! Vos Ecclesia, Respublica vos salutis suæ ministros præstolabitur. Quorum vos cunque personas officiorum susceperitis, modo in CHRISTO stetis fideliter; *pacem*, Hic inquit, *habetis IN ME*. In mundo habebitis *θλίψιν*, *tribulationem*. Pax autem, *charitate DEI* affluens, ipsa efficiet, ut de afflictione, tanquam matre patientie, experientie, & spei, haud pudefacientis, GLORIARI possitis. (Joh. XVI, 33. Rom. V, 3, 4, 5.) Itaque adhortamur vos cum *Augustino* PL. CXXVI. *Surrexit lux nostra CHRISTUS*. Bonum est vobis, ut surgatis post CHRISTUM, non surgatis ante CHRISTUM. Qui surgunt ante CHRISTUM? qui se volunt CHRISTO præponere. Et ii sunt, qui volunt hic excelsi esse, ubi ille humilis fuit. Sitis ergo hic humiles, si vultis ibi excelsi esse, ubi CHRISTUS excelsus est! (Conf. 1. Cor. IV, 8.) Ita PAX etiam VOBIS! P.P. in Regia Fridericiana ipsis Feriis Paschalibus
 A. M. DCCIV.

Typis Joh. Jacobi Krebsii, Acad. Typog.